

**Dissertationem medicam de haemorrhagia / ... submittet ... Pancratius Wolff.**

**Contributors**

Wolff, Pancraz, active 1674-1726.

Bohn, Johannes, 1640-1718.

Universität Leipzig (1409-1953)

**Publication/Creation**

Lipsiae : Litteris Johann-Erici Hahnii, [1674]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/m259txwz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

SACRO SANCTÆ TRINITATIS AUSPICIO!

In

Illustri Philyrea  
Gratiosissimæ Facultatis Medicæ

Indultu,

P R Æ S I D E

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo  
atq; Experientissimo*

DNO. JOHANNNE Boht/

Phil. & Med. Doct. Anat. & Chirurg. P.P.

longe famigeratissimo, Facult. Med. Asfessore

Gravissimo,

*Domino Præceptore atq; Promotore, omni ho-  
noris cultu quàm maximè*

*devenerando,*

DISSERTATIONEM MEDICAM

DE

HÆMORRHAGIA

Eruditorum examini publico submittet

*d. 20. Martii 1674.*

Aut.

PANCRATIUS Wolff/

Numb. Misn.

---

L I P S I Æ

Litteris JOHANN-ERICI HAHNI.

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis atq; Excellentissimis,  
Consultissimo*

**D. DAVID Lindnern /**

**J**Cto undiqvaq; Celeberrimo, Elect. ac Duc.  
Sax. Consistor. Lips. Seniori longè Gravisimo, Supe-  
rioris Aulici Dicafterii Advocato Ordinario,  
Affini Gratosissimo:

NEC NON

*Experientissimo*

**D. JOHANNI Bohn /**

**A**nat. & Chirurg. Prof. Publ. longe famige-  
ratisimo, Facult. Med. Assessori Gravisimo, Hospiti  
atqve Præceptori singulariter Honorando,

**DOMINIS PATRONIS& PROMOTORIBUS**  
*quàm Meritisimis omniq; Observantia æviternum  
suspiciendis*

**Exercitium hoc Academicum**

In

*Gratisimi animi subiectissimæque voluntatis  
contestationem*

offert

**Cultor ac Cliens**

**Devinctissimus**

**AUTOR.**

## CUM DEO!

§. 1.

**H**æmorrhagia, sub qua symptomaticum sanguinis profluvium quodvis, adeoque hæmoptosis ac vulnerum hæmorrhagia, *Plateri* ad exemplū, comprehenditur, tanquam causæ proximæ, *vasorum apertioni* tribuitur, vel per *anastomosis*, vel *diapedesis*, vel *diæresis*, vel *anobrosis* contingenti. Hujus per *anastomosis* ortæ exemplum sudor sanguineus, quem *Deck. in meth. med. c. 7. & Tulp. l. 2. c. 31.* observarunt, sistit, Per *diapedesis* ( licet omnis humorum transsudatio ob *Loweri de mot. cord. p. 117.* experimentum pro hydrope artificiali adornatum negari non possit) historiæ sunt rariores. Sicut autem vasa referant per *diæresis* secantia atque rumpentia multa & notissima; ita etiā per *anobrosis* erodentia, nempe humores acres e. g. in *Œ.* & hæmoptoë; it. hirudines atque vermes. Causa remotior intra vasa ipsa hærens est sanguis, qui aperit, aut ob *acrimoniam* juxta aliquos erodendo, aut *distendendo* liberius spatium requirens, vel ob *Plethoram*, vel ob *circulationem impleditam*, vel *duplici hoc nomine simul*; quo in varicibus, ex æstu hæmorrhagiæ longè facilius superveniunt.

§. 2. *Plethora* duplex dicitur, aut *quoad vasa*, aut *quoad vires*: *quoad vasa* vocatur sanguinis ejusque feri copia, à qua hæmorrhagiæ per alvum & urinam, post membri sphacelosi amputationem observatæ, non male deducuntur; Profluvia sanguinis *Plethora quoad vires*, quam *effervescentiam ejus auctam* appellare fas sit, in omnium generum incalēscentiis, v. g. in febribus excitat, quo etiam quadrat, quod ex immoderato in coitu orgasmo juvenem per superiora & inferiora cruorem rejecisse *Panarol. p. 1. obs. 11.* observavit. *Vitalis hæc naturali vehementior effervescentia* maximam quidem partem humori alcalino ascribitur ac bili, sanguinem, occurrente acido, ad-

modum commoventi, quam in hujusmodi morbis per porum hepaticum cavæ (non obstantibus aliis valde cogentibus experimentis Malpighianis) afferri posse, me, ut credam, adducit, quod fellis vesicula leviter saltem digito compressa, ejus liquorem mox æque per dictum porum, ac intestinalem ductum, deferri tam in aliquot cadaveribus humanis, quam brutorum ab *Amplissimo Domino Preside* tentatum multoties meis egomet oculis conspexerim. Verum nec absunt ab omni culpa humores acidi, alcalinos ad insurgendum excitantes, pariter ac oleo  $\oplus$ l. addito oleo terebinthinæ *Magnus Sylvius & Illustris Boyle* oleo anisi, (unde liquamen rubedine sanguinæ æmulans accepit) cum insigni calore observarunt effervescentiam, quam & ego illud lacti atque bili bubulis jungens deprehendi. Quam macrocosmi cum microcosmo analogiam in febribus malignis, ab earum juvantibus, utpote acidum destruentibus, probabilem redditam, *Willis.* in ipso affectu nostro, scorbuto familiari, sanguinis effervescentiam, à  $\ominus$ ibus in ejus massa latentibus oriundam, accusans, confirmat. Ne circulus autem philosophicus, cum acida motum sanguinis intestinum coercere posterius dicantur, laboret, regeritur: I. *Esse inter acida, uti alcalia, Rempublicam aliquam;* nam secundum *Schuyt* alumen quidem; sed non Spir.  $\ominus$  dulcis, albumen ovi coagulat; volatilis *Paracelsi* Spir.  $\oplus$ l. 9. alembicos expertus, est ab ejus oleo longè diversus; & multo alius naturæ videtur Spiritus in *destill.*  $\ominus$  in forma striarum, quam nubecularum prodiens; II. *Causam, quamvis fere eandem, producere hos diversos effectus,* ob reagentis, circumstantiarumque cæterarum, maximè  $\ominus$ ium occurrentium, constitutionis diversitatem. Sicut fermentatio in mustis, paratis ex fructibus immaturis, in quibus acidum, & id quidem austerum, graviter saltem præponderat, non æquè benè succedit, quam confectis ex maturis, in quibus tamē neque illa sine eodem acido absolvitur: Pariter in Effervescentiis febribusque malignis non acidum modò, sed alcali quoque redundare, concluditur, quod in iis, experientia docente, nimius  $\ominus$ ium volat. usus non usque quaque tutus sit, contra tantum proficiatur  $\Delta$ e, de eoque participantibus, e. g. cinabari &c. alcalina, uti ex elaboratione dicti  $\Delta$ is lactis patet, absorbendo.

§. 3. *Sanguinis circulationem quævis vasa ejus coarctantia v. g. comprimantia & obstruuntia impediunt. Quoad illa, gravidarum non-*

nonnullarum malum est hæmorrhagia in cruribus ( quam tantam *Experientissimus Dominus Præses* in quadam paucis ante partum diebus observavit, ut nullis ferè cederet remediis ) venæ iliacæ ramis, ab utero nimis extenso, compressis, ascribenda. Simili modo fæces duriores, in intestino recto hærentes, venam hæmorrhoidalem, juxta ejus ductum exporrectam, angustando, hæmorrhoidum fluxum producere, non *Hipp.* solum *l. de hæm. 2. 3.* asserit, sed etiam *Deck. in meth. med.* per exemplum mulieris illum, quoties alvi esset adstrictioris, passæ, confirmat. Ad *obstruentium* classem pertinent varices, in quos hæmorrhoidum fluxus *Glisson. in an. hep. c. 35.* aliarumque hæmorrhagiarum causam rejicit *Platerus*. Horum vices vermes in se suscipere posse infertur *ex obs. anat. 6. Ruyschii*, se non semel, sed bis vel ter, in equis arteriam quandam mesaraicam ultra pollicis crassitiem à minutissimis vermiculis distentam observasse, referentis. *Obstruens* frequentissimum est *sanguis congrumatus vel pituita*, uti juvantia posterius recensenda & causæ prægressæ, e. g. frigus vitæque sedentaria, asstipulantur. Quæ *Riverium*, ut hæmorrhagias, in quibus non semper Plethoram subesse, ipsum experientia edocuit, à retentricis imbecillitate deduceret subinde, sine dubio moverunt. Humorum vero coagulationem sive increpationem, unde obstructions sequuntur, acido potissimum tribuendam esse, non credit solum *Sylvius*, deducens illam ab acido - austero, imprimis si  $\ominus$ inæ terreæque partes jungantur, & *Schuyt*, qui comparisonem instituit, cum crystallis, in liqore  $\boxplus$  cum acido, e. g. oleo  $\oplus$ l. emergentibus; sed etiam in inflammationibus, scrophulis & calculo, cuivis eorum naturam & juvantia examinanti constabit.

§. 4. Signum hæmorrhagiæ Pathognomonicum ex actionum læsione desumitur, adeoque mensura determinari nequit, in paucissimis quippe naturalis est tanta sanguinis profusi copia, quantam *Panarol. p. 2. obs. 6.* de Hispano, qui hujus ibi quotidie, toto quadriennio sine sanitatis damno per venas hæmorrhoidales excrevit, memorat.

§. 5. Indicationes in hæmorrhagia sistenda pro diversitate causarum variant, & respiciunt aut vasa; quæ pro morbi specie, modò astringentia, modò consolidantia requirunt; aut humores,

quorum qualitates vitiosæ tollantur, effervescentia compescatur, motusque ad partem effectam per revulsionem & interceptionem corrigatur.

§. 6. Evacuationis & revulsionis gratia instituitur Sangvini missio, præsertim per V. S. em celebrata, quam *Gal. l. de sangv. misf. c. 11. Holler. comm. in aph. 50 f. 5. & Platerus in Praxi* omnes ad experientiam provocantes valde deprædicant, quippe tum Plethoram, quoad vasa & vires curat, tum sangvini alium quoque motum conciliat, ejusque circulationem restituit, quare pleuritidi, angina, atque inflammationibus aliis, in quibus obstructions peccare certum est, auxiliatur. Sit autem parca, & per vices repetatur potius juxta *Riv. c. 1. obs. 83. & c. 2. obs. 52.* imò prorsus, nimia scilicet succi vitalis copia jamdum effusa, vitetur; Confirmat enim *Agric. in chir. p.* illam aliquando obesse, & aliquando rectè omitti, *Panar. p. 1. obs. 11. & p. 2. obs. 58.* ac *Thonerus l. de hæmorrhag.* enarrans aliquot historias curatorum, in quibus V. S. nullam mentionem injicit. Purgantia, etsi fortiora, utpote sangvinem valde commoventia prohibentur, plane tamen, inprimis leniora atque clysteres non rejiciantur, cum non solum serum, plethoræ quandoque causam, sed alios quoque præternaturales humores evacuent; *Platerus* quippe in narium hæmorrhagia sæpenumero iis multum præstitum fuisse gloriatur, *Barb. in Pr.* uterinæ hæmorrhagiæ solo purgante curatæ meminit, nec non *Thon. obs. 1. de hæm. & Riv. c. 3. obs. 12.* purgantia non sine successu præscripserunt. Sudoris provocatio à *Sennerto*, non autem à *Platero*, nisi præservationis loco conceditur, interim tamen hinc inde sudoriferorum formulas, in quibus & diaph. bez. or. &c. præscribuntur, reperias, eo saltem habito discrimine, ut in parva dosi, licet sæpius exhibitæ, per transpirationem insensibilem magis, quam sudorem, operentur.

§. 7. Alterantibus pro humorum alterandorum diversitate variis utimur, inter alia acida & inprimis austera exhibentur, qualia ex succis limonum, berberum, ribium, granatorum &c. parantur, & similia, quæ  $\ominus$  bilis, sangvini serum instar vinculi jungens, enervando, aut ramosis illius corpusculis adhærendo, hoc separatum per diuresin, aut sudorem excerni faciunt. Phænomenon

non hoc, non solum acido liqore venæ canis vivi injecto cernitur, sed etiam contigisse credo, quod oculatissimus *Anatomicus Willis*, De *morb. convuls.* de convulsionibus obnoxio observavit, paroxysmorum tempore, extra id quidem naturaliter fluidum, sanguinem adeo, ut ejus saltem feri liqvefacti instar gutta super guttam accumulata fuerit, congelasse; quod ille per agitationem, exemplo lactis, deducit: verum, lac ipsum minimè concrevit in butyrum, si, juxta *Helm. in sext. dig. & Schuyl. pro Vet. M.* alcalia fixa, aut saccharum (solutionem corallorum, cum succo berberum factam, animadvertente *Zwelf. in Ph. Aug.* præcipitans) acidum coagulatore aborbentia, injiciantur. Ejusmodi *sanguinis coagulatione*, etiam si in multis casibus displicat ipsis Practicis, dum in diuturnis hæmorrhagiis potius roborationi hepatis studere atque aperientia astringentibus jungere jubent, sæpius tamè non minimùm, conducit; unde improvisam aquæ frigidæ aspersione juvisse *Panar. p. 5. obs. 27.* docet; & *Riv. c. 4. obs. 5.* narrat, quendam ab hæmorrhagia gravissima liberasse, quod linteis madidis ad rigorem usque involutus jacuisset; Sic etiam *animi deliquium*, in quod *Tulpius obs. 8. l. 4.* carcinomatis halitu acido-austero ore excepto incidit, ad mentem *Hipp. l. 6. epid. s. 7.* multum prodesse *Riv. in Pr. de Episcopo* quodam & *Platerus* multoties, observasse scribunt.

§. 8. E regno minerali, animaliq; inter hæmorrhagiarum, specifica numerantur terræ ac lapides, ossa & cornua, e. g. martialia, Corallia, Bolus arm. terra sig. margaritæ, oculii ☽, C.C.&c. Huc lapis hæmatites pertinet, qui *Panarolo in p. 1. obs. 11.* atque pulvis putaminum ovorum, qui *Riverio in c. 4. obs. 86.* per experientiam se probarunt. Hactenus *asstringendo*, & qd. *coagulando*, operari putarunt quam plurimi; verosimilius autem est optatos effectus præstare, quatenus ad *obstructiones reserandas faciunt*, & *effervescentiam*, non secus ac in vino & cerevisia, juxta *Will. de ferm. compefcunt*, per eorum virtutem *acidum absorbendi* officinis notissimam. Objectio quidem gravis est, quod lapidem hæmatitem acidum continere artificialis ejus compositio admo- neat, præsertim cum ab eo phlegma, ☉l. simile, eliciatur; hinc quod crocus martis jamdû ejus multum in præparatione imbiberit; denique quod *Febure in Chym. ex bolo terraque sig.* Spiritum acidum, quo

qvo separato, eundem licet colorem retinentes, lingvæ non amplius adhæreant, destillare informet. Sed nodus hic solvitur, respondendo, experientiæ non consentire, *Id omne, quod jam acidi quippiam contineat, nullos ejus aculeos posse intra poros suos amplius recondere*, cum v. g.  $\oplus$  multum acidi vinosi foveat, nihilominus in crystallorum pro Spiritu  $\text{♀}$  Basiliano parando plus acet. dest. imbibat; & lapidis hæmatitis in fame canina summa sit utilitas. Nec quod *Sylvius, Barbetti atque Helmontius* acet. dest. aut vinum acidulum hisce corporibus ament addere, quicquam movet; quia, juxta *Zwelf.* succi berberum  $\text{℥}$  viii coralliorum  $\text{℥}$  ss non dum sufficienter solvunt, Autorum certè consveta quantitas, non quæ planè saturat, sed solutionem faciliat, æstimetur, & iccirco syrupi, succi vel liqvores acidi, misturas contra hæmorrhagias, in quibus asstrictione nulla opus, optimè etiam ingrediuntur.

§. 9. Ad classem acidum corrigentium cortices granatorum. fol. ros. rubr. balauſt. referre paradoxum quidem est, sed rationi non absolum haberi potest consideranti, Cortices granatorum non saltem adstringere, aliàs enim, *alkali* non continentes, non juxta *Tach. Hipp. c. 17.* solutionem  $\oplus$  l. præcipitando in atramentum mutarent, nec in *Naturæ arcanis detegendis solertissimus Langelott in ep. ad Barth. 3. c. 63.* *Illum*, menses movere horum decoctum, observatione probantem, propria, & ea quidem aliquoties animadversa, experientia confirmaret. Ne quis autem opinetur, quia cortices dicti menses movendo hæmorrhagiam excitarent, non posse pro hæmorrhagiis sedandis hoc loco recenseri; illud absurdum non esse ex sequentibus, licebit affirmare; Nam vinis, secundum *Will. de ferm.* ab acido & parùm & nimium fermentantibus, illudque sopiendo aut absorbendo, ænopolis utriusque medentibus vitio, patitur instantiam, *Nullos contrarios effectus ab una eademque efficiente produci.* Evincit illud ulterius, quod *Fuchsius*, (licet *Senn. Pr. l. 3. p. 2. f. 2. c. 13. q. 2.* ad partem contrariam inclinet) aloën, quam hæmorrhoidum fluxum excitare tritum est, omnes hæmorrhagias sistere, doceat; id quod de caryophyllis, juxta quosdam adstringentibus, non ineptè asseretur. Fl. ros. rubr. in atramento ex solutione  $\oplus$  l. conficiendo decocto Gallarum substituit *Boyle de col. p. 2. exp.*

exp. 2. nempe ob eorum alcali, acidum suppressens, quæ virtus specialius inde elucescit, quod *Tach. l. c.* acido solutionis  $\oplus$  l. gallis non sufficienter saturato, pannos erodi, perhibeat, & *Boyl.* atramentum cum gallis factum, oleum  $\oplus$  l., cum rosis rubris  $\nabla$  em instillando, perditam nigredinem, huic denuò Spir.  $\square$ , illi oleum  $\boxplus$  addendo, recuperare tentarit: Cum scrupulus me vellicaret, an nigredo non tam ob præcipitationem, quam duorum horum colorum compositionem oriatur, tincturâ. ros. rubr. cum phlegmate  $\oplus$  l., earum alcali destruyente, paratam, eidem  $\oplus$  l.  $\boxplus$  solutioni, quæ cum illarum decocto mihi narratum experimentum exhibebat, affundebam, sed mihi, rubedinem, nullamque nigredinem conspicienti, ille adimebatur. Similis de Fl. balauſt. cum *Boyl.* illos easdem, ac fl. ros. colorum alterationes à Spir.  $\ominus$ . &  $\square$  subiisse referat, obortæ speculationis veritatem ponebat ob oculos experientia propria. Liceat huc quoque ad acidum corrigentium classem sanguinem Draconis recensere, quem *Will. de morb. Convuls. c. 10.* in passione hysterica, & c. 3. in epilepsia in pulverem, à multis specificè commendatum, recipit.

§. 10. Restant vegetabilia, vulneraria dicta, in hæmorrhagiis valde proficua, inter quæ succus plantaginis à *Solendro* infallibile vocatur remedium & Succus urticæ ab *Amato Lus.* cujus iudicium egregiis confirmat observationibus *Riv. Cent. 4. obs. 86. & comm. p. 173.* Horum virtutem in alcali consistere, *Tach. in Hipp. c. 19.* atque *Helmontius à sed. animæ §. 20. blas. hum. 53. de lith. 17.* probare conantur; cui accedit, quod secundum *Gvid de Caul. tr. 3. d. I. c. 1.* in ulceribus,  $\ominus$  & sanguine congrumato (in quibus acidum peccare solet) eadem conveniant; imò caryophyllata, & card. bened. non tam simpliciter refrigerare, quam incidere atque acidum corrigere, etiam sapore significant. In specie memoratus succus urticæ cum soluto plumbo secundum *Tach. Hipp.* coagulatur in offam nigram; cuius herba ipsa dolio injecta, testante *S. Pauli in quadr. cerevisiam* ab intempestiva fermentatione & acescentia præservat. De succo plantaginis non aliud sit mihi pronuntiare; *Amplissimus enim & Experientissimus Dominus Præses* mihi retulit, se in Belgio nosse Chirurgum, qui hunc, non secus ac *S. Pauli in*

B

quadr.

*quadr.* essentiam, exhibuit felicissimè in lue Venerea, in qua peccare acidum recentiorum plurimi inclinant; nec malè colligitur exinde, quod ejus radicale remedium sit salivatio, melancholicis, *vid. Thon. obs. 1. l. 1.* familiaris, acidum, uti *Schuyt. pro vet. med.* probat, evacuando; quid, quod multa manifesta aromatica (quæ, docente *Will. de ferm.* imprimis amara & acria, cerevisiam ab aciesentia præservant) in hæmorrhagiis conveniunt: *Septalius* laudat decoctum cortic. aurant; *Riverius* Spicam nardi; *Rondeletius* camphoram, & cujus, quæso, generis est, magnum illud hæmorrhagiarum specificum, Pulv. Spenn. comp. Crollii?

§. 11. Opiata, quæ omnes ferè Practici magnifaciunt, inter quos *Platerus* hæmoptoicum solis troch. alkekengi cum opio in lacte caprino solutis, curavit, *Sylvius* illud in misturam, quam in vomitu cruento commendat maximè, recipit, *effervescentiam compescendo & obstructions reserando* magnum hic fructum pollicentur. Nam lenem, juxta *Platerum*, sudorem movent, & acidum suppressere posse svidet tam opii per acida correctio, quàm summa in morbis convulsivis utilitas, quam valere quoq; in istis, quorum paroxysmos evigilatio absolvit, in eos autem spontaneus somnus conjicit, cum per opiata inductus tunc valde recreet, *Will. de morb. conv.* sceminæ perillustris historia comprob. *Convulsionū* vero (quas ille à Spirituū animalium, instar pulveris pyrii explosionibus propter horum Spirituo  $\Theta$ inas & sanguinis arteriosi  $\Theta$ o- $\Delta$ reas particulas evenientes [deducit] *copulam heterogeneam* sæpius multum acido debere calculum adjicit, quod Autor epilepsiam in melancholiam ac maniam terminasse, & *Deck. in meth. med.* ab usu olei  $\Theta$ l. in epilepsiam incidisse juvenem, per observationes instruant; nec obstat, quod *cit. Will.* in dicto affectu præscribat Spiritum  $\Theta$ l., quem videlicet prius super alcalina, in quæ corrosivitatē suam exantlet, destillatum, Sp. vini dulcificet.

§. 12. Sicut autem plurima, nobis hætenus enumerata, à quibus similia, in Practicis passim occurrentia, nō excludantur, humorum qualitatibus corrigendis potissimum convenire, intestinoq; sanguinis motui, à diversa activarum particularum combinatione atque collisione dependenti obicem injicere videntur; Ita super-

sunt

sunt remediorum, motum illius localem, si non per universum corpus, ad partem saltem cruentam, sufflamantium, genera. Quantumvis enim, cum vitalis cruor per totam corporis molem unius cordis vibratione circuletur, non sit in facili concipere, quomodo ad hanc illamve in specie partem impetuosius, ejus motu non simul per totam concitatione observato, ille derive- tur: Quia tamen flumen ejus ad malè constitutum membrum, vel placidè satis decurrens, per meatum apertum effluere non potest non, opera sedulo navetur, ut, si non affluxus omnis inhi- beatur, saltem, usque dum meatuum extremitates subsederint aut coaluerint, aut comprimentibus obstruentibusve fuerint co- arctatæ, imminuatur.

§. 13. Hoc revulsione per V. S. de qua superius actum, adornata optimè dabitur effectum. Hæc siquidem, licet ex indu- bitato sufficienterque ad oculum demonstrato Harveanæ circula- tionis supposito, non ab ipsa parte laborante revellat immedia- tè; attamen eundem à fonte suo, corde scilicet, ad partem, cui vulnus scalpello infligitur, avocando hæmorrhagiæ mederi, est probabile. Idem, eadem ferè causandi ratione, sanguini ad vas a- pertum fluendi locum denegando, præstari poterit: I. Interce- ptione instituta per partium, immediate ad locum affectum mit- tentium, ligaturas, quæ si non sint admodum strictæ, ut venam saltem comprimentes, ad cor partemque læsam refluenti viam intercludant, loco à corde remotiore, quam per quem sanguis profluit, injiciantur; loco autem remotiore, quod si sint strictiores, & quidem adeò, ut, arterias subjacentes simul con- stringentes, sanguini, à corde ad partem affectam tendenti, tran- situm denegent. Illustrat hanc nostram hypothesein, quòd quo- tidie à Chirurgis eandem ob rationem observari videamus, liga- turis, ad venæ sectionem feliciter administrandam, injectis, non ita strictis, venasque solùm occludentibus cruorem largius profili- re; non verò æque benè, si simul vinculum flumen arteriosum, cohibeat. II. Huic indicationi satisfiet per ligaturas atque cucurbitulas cum magna flamma, quas ventosâs appellant, tam sine, quam cum scarificatione, remotioribus in locis ap- plicatas, quarum hæ à *Foresto l. 13. obs. 10. & 14. & Fabr. Hild. c. 2. obs. 15.* valde per experientiam commendantur, nec sine ratione.

Qvip-

Quippe non eatenus tantum, quatenus sanguinis per arterias affluxum augent, sed maxime etiam, quatenus, partes nimirum cum venis immerfis constringendo, refluxui, per eas ad cor facto, non minimam remoram faciunt, effectus desiderati nos reddunt compotes. Id quod vel sola posterior allegata observatio *Foresti* comprobat, quæ ventosas, pro hepatis lienisq; vasis afficiendis, appositas (propter viscerum atq; horum vasorum profundiorum situm) nihil opis contulisse, docet, pedibus vero affixas subito instarq; incantamenti (ob venas scilicet patentiores & cucurbitularum activitati magis expositas) sanguinem restrinxisse; ita quidem ut, in animi deliquium (propter sanguinem cordi denegatum) æger incidens refectione opus habuerit.

§. 14. Aperti vasis orificium rursus occluditur aut comprimendo, sive digito saltem aliquandiu imposito, sive suppositoriis in hæmorrhoidibus, & pessariis in hæmorrhagia uterina; aut opplendo 1. *Sanguine*, à cauteriis aut astringentibus coagulato, succedenti exitum denegante, 2. *Mollibus*, juxta *Platerum*, sese undiq; applicando, ad id aptissimis, e. g. *telis* aranearum, crepitu lupi, spongia &c. nec non 3. *Glutinantibus* vulgò dictis, v. g. bolo arm. terra sig. &c. (præsertim si albumine ovi excipiantur) tragacantho & gummi arabico, quo *Zac. Lus. Pr. adm. l. 1. obs. 90.* hæmorrhagiam, ne causticis quidem cedentem, brevi curavit. Ejusmodi tamen *simplicem obturationem* non rarò obesse *Riverius* in nimio mensium fluxu timet, & *Deck. in meth. med.* exemplo suppositorii ex paucis Sach. Saturni cum melle inspissato confecti, quod in hæmorrhoidum fluxu nocuerit, comprobat. Præcavebitur huic malo, si talismodi obstruentibus consocietur incidentia, qualis est mentha, quæ sola, naribus imposita, illarum hæmorrhagiam juxta *Peredam* vetula curavit; it. mastiche, thus, aloë, terebinthina, cum ejusq; oleo paratus bals.  $\Delta$ , quem felicissimo cum successu ab Amico quodam vidi præscriptum in hæmorrhoidibus coccis, eandem cum earum fluxu causam remotam agnoscentibus: aut actu calida, quæ in visciditate humorum solvenda sunt egregia, adhibeantur; quo fine *Rul. c. 1. cur. 7.* in hæmorrhoidum fluxu calidos duos saccos alternatim usurpatos admodum deprædicat, & mulieres ex cineribus calidis pessario, quò, docente *Platero*, multum sibi prospiciunt, utuntur.